Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36543
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Soror quidam senex. Grande ornamentum est monachi obedientia, quicunque eam possederit. et ipse audiet. et cum fiducia crucifixo astabit. quia dns nr obediens fuit usque ad mortem.

exempla de obedientia valde bonum

Abbas siluanus habebat discipulum nomine marcum cui obedientia erat magna. et propterea senior diligebat eum. Habebat autem et alios .xi. unde cim discipulos. qui tristabantur ex eo quod illum amplius diligerent. Quod post quam alii senes audierunt. mesti uenerunt ad eum ut ei renunciarent quia fres qui cum illo erant contristabantur. Sed antequam illis aliquid fateretur. ipse cum illis ad singulorum cellas profectus est. et unumquemque nomine proprio uocauit dicens. Egredere fr. quem opus te habeo. et uoluit nullus ex illis egredi. Venerunt autem omnes post hoc ad cellam marci ut audirent. et senex pulsans ostium uocauit nomen eius. Ille autem mox uoce senis audita egressus est. atque ab eo administerium quoddam directus est. Tunc dicit senex senibus illis. Ubi sunt reliqui fres. Et ingressus in cellam marci. quem scriptor erat. circuit quaternionem quem scribebat. et inuenit quod in qua hora uocauit eum litteram quam faciebat media dereliquit. ut tantum modo obedientiam adimplere.